


Manifestum regis Britanniae in causa Palatina.



Tryck // / I25 B II c Br. 1641 Manifestation

Tillkomstår s.a. 1641
Digitaliserad år 2019



National Library
of Sweden

Manifestation 1641

Hist
Eng
Polit
(Pr)
1641

MANIFESTUM

Regis Britanniae

In causâ Palatinâ.





CAROLUS DEI GRATIA,

Magnæ Britanniaë, Franciaë & Hyberniæ Rex,
Fidei defensor, &c. Vniuersis & singulis Regibus,
Principibus, Statibus, ac Rebus publicis, ad quos hæ
spectabunt & pervenient, Salutem.

NE Progenitoris Nostri Charissimi,
Regis Jacobi, beatæ memoriæ, cona-
tus, quæq; ab obitu ejusdem circa cau-
sam, perquam dilectæ ac unicæ Soro-
ris Nostre, ejusque Conjugis & Ne-
potum ex his Nostrorum, Principum Electoralis
Palatinatus Rheni, à Nobis acta sunt, vel oblivioni
tradi, vel sub alio quocunq; prætextu ignorari pos-
sint: Quoin negotio, dum Electoralis Domus Pala-
tinæ in pristina Jura, dignitates, possessionesq; qui-
bus in Imperio viguit, & à quibus, contra antiquas
S. Imperii leges & Constitutiones, armorum vi, ali-
isque iniquis modis expulsa atque in exilium acta
fuit, Restitutionem quæsimus, nihil tam Cordi
Nobis fuit, quàm Orbis Christiani Pax atque tran-
quillitas, & ab innocui sanguinis effusione cessatio;
Æquitati omninò consentaneum esse duximus, ad
vindi-

vindicationem honoris Nostri, universo Orbi Christiano tam præteritarum actionum, officiorumque Nostrorum, quàm præsentis in eâdem causâ firmæ sententiæ Nostre summariam enarrationem in memoriam revocare, ac palam proponere.

Nullos autem Europæ Principes ac status, eosque præsertim, quorum publica Germaniæ negotia, quocunque respectu, intersunt, latere potest, quâ ratione tam Parens Noster, quàm nos intra viginti annos præteritos, per varias Legationes, Tractatus, aliasque Negotiationes, non sine molestiis, ac sumptibus ingentibus, apud defunctum Imperatorem Ferdinandum II. Regem Hispaniarum, aliosque Imperii Principes, ac status, præfatæ Carissimæ sororis, Affinisque & Nepotum Nostrorum in pristina jura & possessiones suas restitutionem amicissimis quibusque modis procurare, conati fuerimus, utpote quæ unica sit via firmæ Pacis in Imperio, adeoque inter omnes Principes, quorum interest id negotii, stabiliendæ, quâ neglectâ, constans honestaque Pax, inter hos Motus, qui omnes Christiani nominis Principes bello cruento, nec non exitioso fermè profus attriverunt & intricârunt, sperari vel expectari nullâ ratione potest.

Et ut de propositorum nostrorum integritate manifestè constaret, nō solùm piis inclinationibus, Pacisq; publicæ studiis, eò nos adduci passi sumus,

ut occasiones non paucas, quibus per potentiam, à
 Divino Numine Nobis præstitam, violentas oppres-
 siones præmemoratae Sororis Nepotumque nostro-
 rum, potuissimus prævenire, prætermiserimus:
 verùm & per diversa promissa, asseverationes, lite-
 rasq; Reversales, tam Imperatoris defuncti, quàm Re-
 gis Hispaniarum, aliorumque Electoralis Palatina-
 tus usurpatorum, eodem inducti fuimus ac persva-
 si, ipsos, habitâ ratione interpositionis Nostræ, legi-
 timæ honestæque Paci aures tandem propensiores
 præbituros, per restaurationem statuum ac dignita-
 tum Carissimæ Sororis Nepotumque Nostrorum.
 Atque eadem consideratione moti, posthabitâ tum
 Nostrâ, tum publicâ utilitate, usum armorum, ,
 in causâ tam justâ, distulimus: Quin & Authoritate
 & Parentis, & Nostrâ, Mansfeldini Exercitus è Pala-
 tinatu recessum ac dimissionem procuravimus, cre-
 brasque inducias & armorum sive defensionum in-
 termissiones, eò solùm sine obtulimus, ut ad amicâ,
 ac promissis speiq; Nobis factis consentaneam com-
 positionem aliquam via sterneretur: Ac nominatim
 Arces munitasq; terras nonnullas in manus demor-
 tuæ Hispaniarum Infantæ deponi, sub fiduciâ stipu-
 latae restitutionis intra anni spatium, si finalis paci-
 ficatio non sanciretur, curavimus: Quos autem ef-
 fectus Pacifici piiq; conatus Nostrî sortiti sint, quoq;
 pacto omnes tam sinceræ negotiationes nostræ ha-

ctenus

etenus vel dilationē, vel omnimodam delusionem
 passæ, adeoq; pietate ac patientiâ nostrâ abusi sint,
 idq; ad stabiliendas ac progressu temporis corrobo-
 randas usurpationes Domus Palatinæ, hoc ex conti-
 nuata sororis Nepotumq; Nostrorum Charissimorū
 oppressione ita manifestè cōstat, ut protestari omni-
 nò cogamur, nihil hucusq; spei votisque reliquum
 mansisse, præter desperatā immotamq; sententiam,
 nullum unquam tractatum amicitiamve, toties ta-
 men promissam ac pacis Christianæ amatorum votis
 omnibus expetitam, justitiæ viis impetrari posse. Ni-
 hilomin⁹ cū ab Avunculo nostro Charissimo, Re-
 ge Daniæ, nuper certiores facti fuerimus, ipso tan-
 dem mediante ac interveniente jam nunc Regnantē
 Imperatorem, Ducemq; Bavariæ, tractatui die sexto
 proximi mensis Maij in comitijs hisce Ratisbonensib⁹
 incipiendo, in quo domus Palatinæ cōtroversia,
 tanquam ad Pacem & Amnistiam Imperii universa-
 lem præparatio ac indictio, ponderandæ ac tractan-
 dæ sint, assensisse; Ipsamq; unà cum nonnullis Im-
 perij Electoribus prædictæ causæ Mediatorem ad-
 missum, eo sine firmas prægnantesq; cautiones pro-
 pensionis ad restitutionem domus Electoralis in ju-
 ra dignitatesque priores inclinationis ac dispositio-
 nis accepisse, atq; ideò pro Nepote Nostro, ejusque
 Fratribus convenientes Salvos Conductus, eòdem
 vel personaliter liberè veniendi, vel Legatos aut De-
 puta-

putatos suo nomine, ad locum tempusq; assignatū mittendi, adhibitis omnibus cæteris clausulis, securitatem eorum eundo, comorando, redeundo, causæq; suæ æquitatem ibidem asserendo ac defendendo, concernentibus obtinuisse. Ac præterea eadē de causâ, Legatos suos vel personaliter, vel per Nepotum Nostrorū Legatos aut Deputatos, ejusdem pacificatiouis tractatus pro virili promoturos, conuenienter instructos obligasse: hortando, ut nos cum ipso hâc in re studia nostra conjungentes, similiter Legatos nostros qualificados, & eundem in finem instructos, mitteremus ad procurationem optatæ stabilisq; in Imperio pacis, juxta Principum Electorum intimationem per literas eorundem sibi significatam, quibus & nos præsentibus Comitibus Ratisbonensibus adesse rogati sumus,

Cum idcirco Nepos Noster, Princeps Elector Palatinus consiliū & sententiā Nostram secutus, habitâ consideratione invitationis, prosperiq; exitus, à viâ transactionis & compositionis amicæ haud difficulter expectandi, Legatos vel Deputatos suos eò mittere decreverit: Nos quoq; tam bono & laudabili instituto, nostrisq; & tot Principum votis conformi non deesse cōsultum existimantes, ac feliciores hujus negotii successus, quàm quales hæctenus omnes operæ nostræ produxere sperantes, ultimum experimentū per viam tractatum facere, & ad Imperatorem, cæterof-

terosq; Principes in prædictis Comitibus cōgregatos,
 Legatum nostrum mittere constituimus, plenariâ
 potestate instructum, Authoritatem nostram con-
 tribuendi in procurandâ tam utili beatâq; Pace, per
 restitutionem possessionum & dignitatum supradic-
 tæ charissimæ Sororis, Nepotum & Familiæ Ele-
 ctoralis, quâ sine nulla omninò Pax vel honesta, vel
 tuta esse potest. Omnes alios Reges, status, quocun-
 q; Amicitia vel cōfoederationis vinculo nobis jun-
 ctos, qui vel præsentia suâ, vel per Legatos aut De-
 putatos suos memoratis Comitibus interfuturi sunt,
 hortantes ac requirentes, ut æquitati tam bonæ cau-
 sæ promovendæ, tantæq; felicitati statum Germa-
 niæ propemodum desolatum, beneficio pacis resti-
 tuendæ adesse velint. Veruntamen quoniam varia
 conatuum anteriorum nostrorum experimēta non
 exiguum dubium nobis injicere possent, ne congrega-
 tionis hujus exitus ac fructus justæ expectationi
 nostræ responsuri non sint, imò contrarios potiùs
 effectus, summo cum præjudicio æquitatis, jurium-
 q; prædictorum nostrorū Nepotum & ipsorum Fa-
 miliæ (quod Deus avertat) forsan producturi. Idcir-
 cò adversus quævis acta, sententias, conclusiones &
 determinationes, quoquo modo obtentas, vel obti-
 nendas, faciendas, aut declarandas, sive in confirma-
 tionē præteritarum oppressionū ac usurpationum,
 sive additionem quamcunq; in futurum faciendam,
 tamq;

ranquam irritas ac nulli⁹ momēti vel efficaciz, pro-
 testari per hasce literas cogimur. Quib⁹ casibus (ut-
 pote expectationi votisq; nostris repugnantibus) et-
 iam ulterius protestamur, ac declaramus, nos neq;
 propriū, neq; publicū comōdum, neq; causam, ju-
 ra, justasq; pretensionis Charissimæ Sororis, Nepo-
 tumq; Nostrorum, ut & aliorum Principum ac Sta-
 tuum, ipsorū oppressionibus involutorum, desertu-
 ros: quin imò omnibus, divinâ Gratiâ, nobis conces-
 sis viribus ac potestate, armisq; tum propriis, tum
 auxiliari⁹ omniū confœderatorum, amicorumq;
 Nostrorū, ad vindicationem honoris nostri, Pacisq;
 Publicæ, ac reparationem injuriarum, usurpationū
 ac oppressionum sæpius memoratę Sororis charissi-
 mę Nepotumq; ac Illustris, eorundę familiæ ufuros.
 Quemadmodū autem profitemur, Nos ad promo-
 tionem felicitatis exoptatęq; Pacis (unicum solatium
 afflictissimi Imperii) futurę omnem operam ac po-
 testatem nostram allaturos: ita simul DEUM Omni-
 potentem, Cordium omnium Principum Scrutato-
 rem, ut & justarum actionum nostrarum spectato-
 rem, Orbemque terrarum, Nos, si ultima hæc spes
 nostra protrahatur, vel eludatur, ab omnium cala-
 mitatum, quę insequi potuerint, culpâ, coram
 DEO ac Mundo immunes fo-
 re, obtestamur.